

D. O. M. A.  
DISPUTATIO JURITICA

DE

CELEBERRIMO POTENTISSIMOQUE  
IMPERIO ROMANO-GERMANICO,

in genere, & in specie

DE

IMPERATORE AUGUSTISSIMO,

*Quem,*

*Magnifici Jctorum Ordinis permissu,*

VIRO-PRÆSIDE

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO ET  
EXCELLENTISSIMO,

DN. WERNERO THEODORO MARTINI, Jcto & Antecessore hâc in Academia longè  
Celeberrimo, Curia Electoralis, Consistorii Ecclesiastici,  
Scabinatûs & Facultatis Juridicæ Assessore  
gravissimo,

*Dn. Patrono ac Præceptore suo maximoperè colendo,*

Publicè sistet ac defendere conabitur

Hans Heinrich à Känn/

NOBIL. MISNIC.

*In Auditorio Jctorum*

Ad d. Aprilis. 1664. horis consvetis.

WITTEBERGÆ,

Literis, FRIEDRICI WILHELMI FINCELI.

3

4

10.<sup>2</sup>  
15

1664,  
9<sup>6</sup>

18.

223.



W

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
MARTIN LUTHER  
UNIVERSITY OF  
HAMBURG

UNIVERSITÄT  
HAMBURG



IN. NOMINE. DOMINI. NOSTRI.

JESU. CHRISTI.

Ad omnia Consilia, omnesq; actus semper  
progredimur, (a)

*Præloquium.*

**C**redo ego mirari quemlibet, quid sit, quod, cum Horatij judicio, materia Viribus, qui scribunt, æqua sumenda sit, ego potissimum thema hoc elegerim, is cui neq; per ætatem, neq; Ingenium, neq; auctoritatem tale liceat. Si quidem Jus Publicum, ut loquitur Carolus Emmanuel Vizzanius, (b) nihil humile in Republ. nihilq; vulgare contrectat, sed in eâ, altissima quæq; suis consiliis atq; institutis formanda suscipit, ac moderanda: quandoquidem in conservandâ religione, & ceremoniis, Magistratum officio constituendo, Imperio, armis, reliquisq; opibus muniendo, suum studium, industriamq; consumit. Enimverò tali operi & materiæ de nostro Imperio, manus non admovissem, nisi Patria fuisset. Magnum autem Patriæ, ac suavissimum amorem, Romanæ illius eloquentiæ princeps Cicero, (c) egregiè verbis complectitur sequentibus: Nec locus tibi ullus dulcior esse debet Patriâ: nec eam diligere minus debes, quod deformior est, sed misereri potius. Imò dicit, (d) (quæ pia Ethnici vox:) Omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certus est in cœlo, & definitus locus, ubi beati ævo sempiterno fruantur. Hinc stolidè admodum, & ineptè contemptores Patriæ, juxta Horatium faciunt, dicentem:

Meo quidem judicio non rectè sapit,  
Qui spretis patriæ finibus terræ,  
Alienam laudat, & moribus gaudet alienis.

Nec deterrere me debuit eorum judicium, qui de Jure Publico in  
Academiis tractari, & disputari posse negant. Metum enim facilè

A 2

excus-

(a) l. 2. pr. C. de offic. Præf. Prator, Africa. (b) in, de Mandat. Principum, ad Alexandr. VII. Pontif. præfat. (c) Cic. lib. IV. epist. 9. fol. m. 59. (d) in Scip. Somn.



excussit istum ipse Imperator, qui cupida LL. juventuti illud jus inculcat, (e) cum studii nostri duas esse positiones ait: nimirum Publicum & Privatum, eamque utilitatem, si Studiosi Juris se in eo studio eruditos ostendunt, pollicetur, posse Rempubl. Romanam in partibus ejus ipsis credendis per eos gubernari, (f) Ad Academias enim, tanquam ad mercaturam publicam accedimus, non solum ea, quæ ad nosmetipsos informandos, atque ad privatam propriamque indigentiam sublevandam faciunt, comparaturi, verum etiam ea, quæ Reipubl.: propter quam potissimum nati, prodesse possint: Hoc est scientia nostra, quæ totus illuminatur mundus, ut egregiis hisce verbis commendat studia Imperator Fridericus I. (g) videatur & Johann: Limnæus (h) Christophorus Besoldus, (i) Dominicus Arumæus. (k). Nam si rem, donec in aulam vel regimen vocetur, differre quis velit, quis sponsor erit, tunc vires, occasionem & tempus addiscendi hæc juris latifundia suppeditatum iri? Dominus Carpzov. (l) Concedendum itaque erit Academiis, fundamenta juris generalia, leges & negotia Imperii jam transacta modestè & submissè profiteri, deque iis disputare ad informationem Studiosorum juris, & disciplinæ Politicæ explanationem uberiores; per hoc tamen nequaquam iis data, quin potius adempta sit potestas, negotia adhuc inter Partes controversia definiendi ac determinandi. Nā quis nescit longas Regibus esse manus, ac periculosum simul de illis scribere, qui possunt proscribere, Carolus ab Hagen, (m). Hoc ipsum etiam est, quod Divus LEOPOLDUS, modernus Romanorum Imperator, feliciter Regnans, in Capitul: suâ Casareâ, §. Wir sollen und wollen &c. sese ad instantiam Statuum jurato adstrinxit, se velle in ejusmodi temerarios taxatores & Obtrectatores Pacis Osnabrugensis gravissimè animadvertere. Breviter; Regula ab Ulpiano (n) præscripta hinc observari debet, ne omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus exactius trutinentur negotia publica,

(e) §. Hujus studij. 4. J. de J. & J. (f) §. ult. in f. Proem. Inst. (g) in famosissima Authent. Habita. C. Ne Filius pro patre. (h) de Jur. Publ. lib. 1. cap. 2. n. 11. (i) in Templo Justitia, quest. 51. (k) ad A. B. disp. 1. §. 1. (l) in Jurispr. Eccles. lib. 2. def. 497. & in disp. 1. Feud. quest. 1. (m) lib. 1. jurispr. Publ. c. 1. n. 3. (n) in l. solent etiam. 6. §. non verò 3. π. de offic. Procons.

ob debitum Magnatibus respectum, quorum interest non omnia  
arcana curiosè nimis rimari, & scrutari. Interim, opera huic erit  
danda juri, ne, cum in aulam aliquando veniamus, putemus, nos  
esse translatos, in alium, ut ille ait, orbem. Sit itaq; bono cum Deo,  
& pro ingenii modulo

MEMBRUM PRIMUM

DE

IMPERIO-ROMANO-GERMANICO.

IN. GENERE.

CONCLUSIO. I.

Romanorum Imperium est quarta & Ultima  
illa Monarchia, à Spiritu Sancto in sacris literis  
indigitata.

Exegesis.

DISQUISITURO mihi Sacrum nostrum & Romanorum Imperium  
in mentem meritò venit Philosophorum dogma, quòd an res  
prius, quàm quid sit, perpendi debeat. Hinc ne ἀμεθοδως agere  
viderer, ea, quæ probationis loco erant adducenda, præmittere hinc  
volui. In examinandâ verò hæc quæstione & Theologi occupati  
sunt, & Juri ac Politici, cum horum Imperia tam arctis hinc inter li-  
mitibus conjunguntur, ut tum suam quisq; feram venatur, cavere  
neuter ubiq; possit, ne in alterius solum unquam ponat pedem. Con-  
cedatur mihi ergò, posteaquam id rei affinitas postulat, hæc pote-  
stas, ut in usum nunc meum ab aliis mutuum quid accipiam. Con-  
stanter equidem affirmari hoc posse, quicquid etiam contra moli-  
antur Bodinus (o) & Vossius (p) cū suis asseclis, inde concludo, quia  
nulli regno alij (præter illud, quod expressè à Daniele (q) quartum  
dicitur, diversumq; est à præcedentibus) Symbola à Propheta ex-  
pressa applicari possunt. Nunquam enim ad regnum, ab Alexan-  
dri M. successoribus occupatum, Danielis verba, (quod Adversarii  
quidem volunt) pertinebunt, vers. 40: Regnum quartum erit forti-

A 3

tudi-

(o) in Method. Histor. cap. 6. & passim in libb. de Republ. præcipuè lib.  
2. cap. 6. (p) in Isagog. Chronolog. p. m. 6. (q) cap. 2. v. 40. & seqq.



tudinis ratione velut ferrum, & sicut ferrum conterit, sic conteret, & comminuet omnia hæc: & quæ sequuntur apud Vatem hunc sacrum, dict. cap. 2. vers. 41. 42. & 43. Possem varia variorum adhuc in diversas partes abeuntium argumenta jam recensere, sed cum in solidum id deducere mei instituti non sit, supersedeo hoc labore, & Lectorem harum rerum cupidum, compendii amore, ad doctissimas Excell. Dn. Ægidii Strauchij D. & P. P. Prælect. Publ. in Sleidanum de IV. S. I. remitto. Antequam autem prorsus hinc abeam, ipsorum Autorum testimonia subjungam, qui alium aliàs esse Nabuchodonosori imprimis Visionis scopum, probare, communem autem de IV. Monarchiis opinionem confutare conati sunt. Sic igitur Bodinus (r) ait: Habet enim (hæc opinio) propè infinitos Bibliorum interpretes: Habet è junioribus Martinum, Melanchthonem, Sleidanum, Funccium, Onuphrium, rerum divinarum & antiquitatis homines valde peritos. Affigam etiam Calvinii verba (s) Interea verum est, inqvientis, quod dixi, nempe interpretes, qui & mediocri judicio pollent, & candore, omnes ad unum hunc locum exponere de Monarchiâ Babylonica, Persica, Græca & Romanâ.

## CONCLUSIO. II.

### Imperium Romani habuerunt Monarchicum. Exegesis.

Per quas mutationes & vicissitudines atq; gradus Respubl. Romana circumacta fuerit, donec veluti fessa & viribus exhausta, in sinum Augusti se conjiceret, fessoremq; Augustum, veluti equus recalcitrando defatigatus facilè pateretur, Tacitus (t) compendio refert. Ac à principio urbis Populus Romanus Monarchiam expertus est, teste Pomponio (u) Statum mixtum expulsis Regibus, tandem necesse esse vidit, ut Reipubl. rursus per unum consuleretur, ut loquitur Jctus in allegatâ lege 2. §. II. π. de O. Jur., & sic in Augustum cessit. Qui cuncta discordiis Civilibus fessa, nomine Principis sub imperium accepit, referente Historicò. Verissimè autem de Romanorum Imperio dici Monarchicum illud fuisse, atq; omnia

(r) Method. Histor. cap. 7. p. m. 298. (s) super Daniel. cap. 2. pag. 22.  
(t) lib. 1. Annal. cap. 1. (u) in l. 2. §. 1. π. de O. J.

omnia ista tertiæ Monarchiæ contrivisse regna, è Scriptorum tam  
Veterum, quàm Recentiorum innotescit testimoniis, ut inde non  
immeritò dicas cum Virgilio (w) Romanos rerum Dominos, &  
cum Martiali (x) Terrarum dea, gentiumq; Roma,

Cui par est nihil, & nihil secundum.

Et Ovidio, (y) Gentibus est aliis tellus data limite certo  
Romanæ spatium est urbis & Orbis idem.

Item Taubmanno; (z) Roma orbem domuit. Hinc Roma apud  
Tacitum, (aa) dicitur urbs, unde in omnia regimen, & (bb) caput  
rerum alibi apud eundem appellatur. Apud Andream Fulvium  
Bruin (cc) sic de Româ scribitur: Urbs Roma, Quirites, est terra-  
rum Dea, gentium Regina, Deorum domicilium, magistra morum,  
communisq; omnium Roma, sine controversia prima cunctarum  
urbium, quis ignorèt? Ita divina mens Civitatem P.R. egregiâ tem-  
peratâq; regione collocavit, ut orbis terrarum Imperio potirerur.  
Item, Hæc est illa Roma, Regina urbium, mundi caput, ingeniorū  
parens, gentium hospita, peregrinæ Virtuti semper parcens. Hæc  
ille. Porrò vocatur Roma caput orbis (dd) urbs æterna, orbis epi-  
tome (ee) videantur Matthias Stephani (ff) & Just. Lipsius (gg) imò  
de his præstat facere, quàm pauca dicere.

### CONCLUSIO. III.

Divisio illa Constantini Magni, in Occidentale  
& Orientale, maximè Imperium hoc debilitavit.

#### Exegesis.

Hoc tantum Imperium, tot laboribus periculisq; jactatum,  
in tot formas mutatum, ut vix Ovidii Vertumnus (bb) tam aptè for-  
mas fingeretur in omnes, divisione in Orientale & Occidentale fa-  
cta, foedè dilaceratum fuit. Nam Romanum certè Imperium non

prius

(w) lib. 1. Æneid. v. 286. (x) lib. 12. epigr. 8. p. m. 316. (y) lib. 2. Fastor.

(z) in Hercul. Academ. pag. m. 146. (aa) lib. 3. Annal. cap. 47. p. m.  
242. (bb) lib. 2. Histor. cap. 32 p. m. 962. (cc) in Roma triumphante.

(dd) in l. 3. C. de Consul. (ee) l. unic. C. de privileg. Corporat. urb. (ff)

de jurisdict. lib. 2. P. 1. c. 1 n. 48. & seqq. (gg) de magnitud. Rom. lib. 1.

cap. 2. (bb) lib. 14. Metamorph. fab. 15.

prius ad ruinam spectavit, quàm divisione in Orientem & Occidentem factâ, inquit Nobiliss. Dn. D. Lyserus (ii). Causa divisionis fuit translatio sedis imperatoriae Româ Constantinopolin. Et primò Romanum equeidem Imperium dividebatur in tres partes Cisalpinam, Transalpinam, & Orientem: post in Orientem atq; occidentem. Occidentale Imperium mox defecit ob barbaricas irruptiones, dum arma Romanorum in patrio solo nò amplius habitabant, sed in Oriente peregrinabantur. Quod Orientis scilicet Imperium per multa adhuc secula floruit; sed & illud à Scythis & Saracenis ita debilitatum fuit, ut præter urbem Constantinopolin & vicinas quasdam Provincias, vix quicquam obtineret. Donec tandem Anno Christi 1453. à Machomete Turcarum Imperatore capta Constantinopoli penitus extingveretur.

#### CONCLUSIO. IV.

Duas prætereà insignes mutationes passa est

Respublica Romana.

#### Exegetis.

Cùm nihil tam stabile inter homines, & ita immobile, ut nullam patiatur immutationem, (kk) ideò & varias, insignes tamen potissimùm duas, Rempubl. hanc Metamorphoses habuisse deprehendimus. Prima equeidem contigit, termino ab Augusto Cæsare, ac Imperii Constitutore affixo ad Romulum Momyllum Augustulum, qui Româ & totâ Italiâ à barbaris quibusdam Populis depulsus est: in quo duo fatalia nomina concurrebant. Sicuti enim Romulus urbem Romam fundaverat, Augustus constituerat Imperium: sic ultimus hic Romanorum Imperator, (divinâ providentiâ sic ordinante) Romuli & Augusti, sed diminutivum nomen habuit: & quodcunq; tam Romulus, tam Augustus construxerat, id sub ipso Barbari diruerunt. Ut inde bene dixisse videatur Jornandes; in eis sæpè Regna deficiunt, à quorum nominibus inchoant, Henricus Meibomius ad Sleidan. de IV. S. Monarchiis, pag. m. 46. Altera, ab Augustulo iterum ad Carolum Magnum usq; , ubi à Romanis penitus Imperium ad Germanos per Carolum hunc Francum,

(ii) in *disp. de Apanagio. num. XI*, (kk) *Novell. 7. cap. 2. §. l. 2. §. 18. C. de Veter. jur. enucl.*



cum, qui Francorum agmen duxit, delatum fuit. Enimvero inter omnes has ac reliquas, ad quas saepius redacta fuit Monarchia haec, angustias, nomen universalis Imperii, quo à Deo ipso salutatur, nunquam deposuit. Nec obstat, quin exile fuerit sitq; illud, cum DEUS ipse in Daniele Regni quarti praedicat infirmitatem in luto praefiguratam.

### CONCLUSIO. V.

Translatio illa à Romanis ad Germanos, novum non induxit Imperium,

#### Exegetis.

Haut constare sibi ait Grotius, (ll) unde illa Surrogatio sit Imperii Germanici in locum Romani; sed nunquam sine honoris praefatione citandus Johannes Feldenus (mm) id ubertim ostendit, in quæ sequentibus scribit; quia scilicet per hoc inversum est Occidentale Imperium, & Splendor ejus ad Germanos translatus. Enimvero, an per translationem illam Imperij, novum fuerit introductum, maximè controvertitur. Nec puto, cum jure successionis seu Electionis Romani Imperatores sibi invicem successerint, dum Populus Romanus, & inter hos primarius Civis Pontifex, Carolum Magnum voluerunt suum Regem atq; Imperatorem esse. Tripliciter verò jure Carolus invitatus in Italiam venit, ac Imperij culmen obtinuit. Primò jure belli; quæ enim jure belli capiuntur, Victori cedunt, (nn) Deinde S. P. Q. R. voluntate: de qua ita Dn. Christian. Matth: (oo) Cum itaq; inquit, Carolus Romam veniens templum ingressus esset, uno ore Cives Imperatorias laudes ipsi acclamaverunt, eumq; per manum Papæ Coronatum Cæsarem & Augustum appellarunt. Videatur & Sleidanus (pp). Deniq; jure Transactionis cum Irene muliere, eamq; secutis Nicephoro & Basileo Imp. inter quos conventum est, ut alter Occidentis, alter Orientis Augusti, fratresq; inter se essent. Huic Carolo & alijs Franco-

B

(ll) lib. 2. de J. Bell ac Pac. cap. 9. n. XI. p. m. 188. (mm) in Not. ad allegat. Grotii locum pag. m. 182. & seqq. (nn) l. Hostes. 24. π. de Captiv. & postlim. revers. §. Item ea 17. J. de R. D. & A. D. (oo) in Theatr. Hist. pag. 817. (pp) lib. 8. Comment. pag. m. 213.

rum Regibus succedentibus longo ordine successit Conradus I., qui moriturus Henrico aucupi Secul: X. fasces cum Imperio Occidentis tradidit. Cùm itaq; per vim extinctum Romanum Imperium dici non possit, illud hætenus durare credendum. Dicis, Hoc nostrum non esse dicendum Romanum Imperium, cùm nihil de Romanâ possideat urbe; sed quicquid sit, Antecessores illam tenuisse sufficit, hinc jure retinendam esse appellationem quis negaret: In primis, cùm hæc Politica Regum esse solent, ut titulos etiam amissarum præferant provinciarum, ut Rex Angliæ titulum Franciæ, Rex Hispaniæ titulum Regni Hierosolymitani, ut scribit Boxhornius. (99)

### CONCLUSIO VI.

Germani de Romanorum participant jure,  
eisq; Monarchicum quoddam assignari potest,  
Imperium.

### Exegetis.

Ex necessario hinc *τεκμηρίω*, quod ad occasum aliàs Monarchiæ alicujus requiritur, præsupponimus, per vim scilicet ab alio regnū antea tenente esse illam occupandam, hoc si habeamus, quid de præsentī Controversiâ statuendum, palam constare potest, repetamus enim historias, & veritas inde deducetur. Nefas autem omnino existimavit Bodinus, ut homo Gallus, Germanis tantum honoris concedere, ut Monarchicum quoddam de iis dici posset Imperiū, dum in Method. Histor. ita ait: (rr) Se à Germanis ad nominis sui & Imperii gloriam hæc scripta esse judicare. Rationum, quas affert ille, nervus potissimum in hoc inter alia consistit, Monarchiam de populari Romanorum statu dici non posse. Imò, pergit iste citat: loco pag. sequenti: Si ommissa verborum subtilitate rem teneamus, profectò Germani non satis ad id, quod volunt, accommodatè Monarchiam Romanorum usurpant, cùm vix centesimam partem orbis terrarum suâ ditioe teneant, & Hispaniarum Princeps Imperium habeat Germanico majus, tum Populorū magnitudine, tum  
ampli.

(99) lib. 1. Instit. Politic. cap. 13. pag. 304. & lib. 1. cap. 15. pag. 360. item, cap. 4. lib. 1. pag. 45. (rr) pag. m. 299.

amplitudine Regionum &c. & quæ apud eum prolixissimè sequuntur. Verum enim verò non ita ad extrinsecam (liceat ita loqui) Populorum multitudinem respiciendum erat, si enim tam strictè vocabulum Monarchiæ sumendum foret, ne unum quidem ab initio Mundi Monarcham fuisse quivis concedit. Assyrios certè universale & Monarchicum occupasse Imperium, nemo negabit. Sed quot quæso regiones adduci possent, ad quas ipsorum imperium se non extendit, nihilominus tamen acquiescendum Scripturæ asserenti, Imperatorem primæ Monarchiæ occupasse omnia, in quibus habitant filii hominum, apud Danielelem, (ss).

### CONCLUSIO VII.

Nihil, quod Pontificii volunt, ad Imperii translationem fecit Pontifex.

#### Exegetis.

Eruditè ac prolixè aliàs de hoc Papicolarum figmento agit Magnus noster Carpzovius, (tt) cui inter humanas felicitates summa hæc raro sanè exemplo contigisse videtur, ut famam, quam alii post funera demùm sibi parare solent, hic vivus à multis jam annis sit adeptus, ut in præsentis ævi Ulpiani laudem scribit Nobiliss: Dominus Præses, Præceptor meus æternùm colendus, (uu.) Ubi sententiam simul Bellarmini refutat, asseritq; Imperium Occidentale ad Carolum Magnum haud pervenisse jussu, autoritate & confirmatione Pontificis Romani. Jure enim belli ipse Imperium hoc, ut & consensu Imperatorum Orientalium acquisivit. Ad quod e quidem concurrat Papa, non ut Papa, sed ut membrum Politicæ Romanæ tunc præcipuum, Dominus Carpzov. d. l. (ww) num. verò 12, inquit: Causa itaq; efficiens electionis principalior fuerunt Principes S. P. Q. R. unà cum Pontifice. Jus enim omne, quod ad eligendum Imperatorem Romanum habere poterant hi, qui Constantinopoli habitabant, pependisse à voluntate Populi Romani, eamq; juris cessionem meritò ad Populum, à quo ortum duxit, rediisse

B 2

(ss) cap. 2 vers. 38. (tt) in tractat. de 2 Regiâ German. cap. 2. sect. 8 (uu) in disp. sua. 1. de jur. Saxon. Veter. & modern. cap. 1. num. 31. (ww) num. 8. 9. & 11.



diisse testis est Grotius (xx). Nec potuit Papa sine causa Græculo, ut contentim eum appellat glossa (yy) possessiones auferre; cum Dominia, quæ J. Genitum distincta sunt, ne Principes quidem sine injuria perturbare possint, referente Dn. Arnifæo, (zz) nec transferre, quod ipse non habuit, (aaa).

### CONCLUSIO. II. X.

Pontificum potentia ac tyrannis, quamvis eisdem fortiter Imperatores omni ævo sese opposuerint, magna fuit in nostro Imperio, cuiq; magno perẽ nocuit.

#### Exegetis.

Memoriã forsan excidere non potest, Papæ potentiam ac tyrannidem olim fuisse magnam, adeo ut in Reges ac Principes ceteros non modo Christianos, verum in ipsum quoq; Sacri Imperii Caput, Imperatorem scilicet sese extenderit. Nota est tyrannica ista ignominia, qua Fridericum Ahenobarbum Imperatorem affecit Alexander III. Pontifex Romanus. Cum enim hic Fridericus I. cognomento BARBAROSSA, pro mendacio haberet insigni Imperium Romanum beneficium seu feudum esse Pontificis, & Germanos Cæsares Romanorum Pontificum beneficio imperare, uti Raduivicus Frisingensis (bbb) annotavit; nec ejus stomachus nequitias Papæ alias coquere, somniaq; & deliramenta ipsius neq; exosculari, neq; probare ad minimum posset, quia modo illegitimo etiam ille sedem invaserat Apostolicam. Excommunicabatur hinc à Pontifice, more Antecessorum impio, Fridericus. Cumq; ægrè hoc ferret Imperator, Romam clausit, ac cepit. Verum re postmodum male gestã, cum ejus filius à Venetis in obsessione caperetur: Pater amore erga Filium, aliisq; publicis adductus causis pacem fecit cum Ale-

(xx) lib. 2. de J. B. ac. P. cap. 9. num. 11. (yy) in cap. in apibus. 41. caus. 7. qv. 1. (zz) in Tract. de jur. Majest. cap. 2. num. 3. pag. m. 21. (aaa) argument. l. 4. §. ult. π. de offic. Procons. l. 20. pr. π. de A. R. D. l. 54. π. de R. J. (bbb) lib. 1. de reb. gestis Friderici I. cap. 10.

Alexandro III. Venetisq; ante templum D. Marci Supplicem se de-  
dit. Sed quid Papa? Pede pressit in iquo Imperatorem, dicens ex  
Psalmo: Super aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis  
colla Leonis ac Draconis. Cumq; Fridericus regeret, Non illi, sed  
Petro: Papa denuò dixit tyrannicè: Et mihi, & Petro. Videatur  
Wolffius (ccc) quo nemo magis in adversariorum scriptis legendis  
versatus fuit. Nec placet hæc fabulis simpliciter accenseri cum  
quibus hæc magni nominis Viris inter quos est CL. Rupertus, in o-  
pere Postumo nuper edito, & quem hæc in re primo loco nominare  
debuissem, Georg. Remus J. Ctus & Antecessor in Academia quondã  
Altorphiana, in Dissertatione suã, quã commentum esse putidum,  
hoc ostendere conatur, tum, quòd præstò sint fide digni historici,  
qui hæc gesta recensent, tum, quòd ab ingenio Pontificum Roma-  
norum ambitiosissimo, hæc & similia, iis imprimis seculis, parùm  
aliena fuisse, ex antiqva historia constat satis. Exstabant enim hujus  
Friderici tempore imagines Innocentii II. in sede Pontificali resi-  
dentis, & Lotharij Imperatoris complicatis manibus coronam Im-  
perii à Pontifice suscipientis, cum hæc inscriptione Imagini ad-  
ditã:

Rex venit ante fores jurans prius Urbis honores,

Post homo fit Papæ, recipit quo dante Coronam.

Testante hoc iterum Wolffio, (ddd). Imperatores igitur tantæ Pa-  
parum tyrannidi ac impudentiæ sæpius contradixerunt. Primus  
quidem Henricus IV. Secundus Henricus V. tertius Conradus III.  
Sub quo exorta factiones Guelphorum & Gibellinorum. Hi jura  
Cæsaris, illi Papæ tuebantur. Quartus Fridericus I. de quo antea  
dixi. Quintus Fridericus II. Sextus Albertus I. Filius Rudolphi  
Habsburgici. Cùm enim hic Albertus à Bonifacio VIII. Pontifi-  
ce confirmationem in Imperio peteret, Papa accinctus ense & co-  
rona Imperiali ornatus prodiit in publicum, & exclamavit: Ego  
sum Cæsar & Pontifex. Septimus Imperatorum, quem Pontifices  
exercuerunt, fuit Ludovicus II. Bavarus, sed hic adeò mansvetè re-  
pressit, & gladio & calamo eorum ambitionem & affectationem

impe-

(ccc) in erudito opere Lect. Memorabil: Tom. 1. Cent. XII. fol.

375. & 376. (ddd) Tom. 1. Lect. Memorabil. cent. XII. fol.

345. & 370.



Imperii, ut post illa tempora non ausi fuerint ita laceffere Impera-  
toriam Majestatem. Carolus V. demum superiori seculo Papæ Ro-  
mani tyrannidem insigniter fuit ultus; Sed quò minus tyrannum  
hunc in ordinem redigeret, & prisca jura Imperatoria assereret,  
prohibitus fuit partim discordiâ Germaniæ, partim æmulatione  
Gallorum, & Anglorum, qui nolebant perferre, ut Germania ac-  
cessione Italiæ augetur. De quâ Urbis Romæ capturâ, ac Ponti-  
ficis obsessione prolixissimè inter alios agit Sleidanus (eee). Quan-  
tum etiam impudentiæ ac tyrannidis Antichristi hujus in fabulosâ  
istâ, ac nunquam facta Constantini M. donatione situm sit, quan-  
tumq; ea Imperij nostri vires enervarit, lippis fermè & consoribus  
jam notum est. Ego, ne Iliada post Homerum scribere videar, Le-  
ctorem, qui plura de illa scire avet, remitto ad Magnif. Dn. Carpz.  
(fff) Arnisæum (ggg) & Matth. Grosium, (hhh) aliosq;.

### CONCLUSIO. IX.

Recessum interdum fieri ab Aurêâ Bulla de-  
prehenditur.

#### Exegetis.

Damnosa quid non imminuit dies? inconcinnè haud inter-  
rogare licebit hîc cum Lyrico (iii). Siquidem nihil in rebus huma-  
nis actu perfectum reperitur, quod non à longo tempore vitium  
contrahat, & correctione aliquâ indigeat; sic nostrâ memoriâ A.  
B. fuit mutata, Constituto Octavo Electoratu. Sed quo jure fuerit  
ea mutata, quæritur. Certè fateri oportet, seculo priori piaculum  
fuisse visum Collegio Electorum Venerabili à numero Septenario  
desistere, aliumq; superaddere. Hinc & Maximilianum I. Im-  
peratorem pro electione hâc Archiducibus Austriæ communican-  
dâ sollicitantem, & Gabrielem Bethlemium Transylvaniæ & Ze-  
culorum Principem, repulsam tulisse legimus, partim quòd æqua-  
lia per octavum Electorem vota fieri possent, inconvenienter om-  
ninò

(eee) lib 6. Comment. pag. m. 157. seq. (fff) de L. Reg. Germ. cap. 7.  
sect. 5. n. 11. 12. 13. & seqq. (ggg) de Jur. Majest. lib. 1. cap. 5. n. 6.  
pag. m. 119. seq. (hhh) in dissert. de Donat. Constant. Magn.  
pag. 19. (iii) lib. 3. od. 6.

minò, si non major pars eorum in certum aliquem ad fasces Imperij evehendum consentiret, partim quòd privato etiam commo- do, & sine prægriantiore postulati causa itidem hoc intenderent, uti monumenta historica tradunt. Verum enim verò, à jure Comuni salutis publicæ causâ interdum sicut recedere licet, etiam sub specie iniquitatis, quam unus vel alter privatus sustinere videtur, quia juxta Taciti effatum (kkk) habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publicâ rependitur, vid. Boxhorn. (lll) nec debet reprehensibile judicari, si secundùm varietatem temporum statuta quandoq; varientur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, ut scribitur in cap. penult: X. de Consangu: Ita & defectionem hanc à lege Imperii fundamentali tuebitur Ratio status. Quare ex voto Moguntini Septemviri apud Sleidanum (mmm) haud obscure id discere licet, eum tanti non habuisse Leges Imperij & observantias Majorum, quin pro status ratione ab iis recedendum existimaverit: Non equidem, inquit, id negare velim, sed alius tunc erat temporum status, & ætas multò felicior: nunc verò si quis erit Cæsar infirmior, an, qui sunt ditionis Caroli, Belgas & Austriacos dicto fore putetis audientes? Certè historias si consulamus, multos eæ ob id contra A. B. suppetent nobis actus susceptos, quos institutò referre omnes prohibemur. Sic quid, nisi *Status ratio* aut potius Religio Nostra à Pontificiâ aliena defendit hoc, quando Serenissimus Saxonix, vel quisquam alius Elector, repudiatâ religione Pontificiâ Missæ consvetæ ante electionis actum decantandæ interesse non vult, ut maximè lex fundamentalis Septemviros ad hoc adigat. (nnn) de quò videndus est Dn. Carpzov. (ooo) De causis verò illis prægnantissimis, quæ cõegerunt Principes numerum Electorum Septenarium augere, multo in præsentem facere verba, nec hujus loci, nec fortassè mei muneris erit. Quî deniq; institutus ac confirmatus sit octavus Electoratus, explicat Instrumentum Pacis Osnabrugensis. (ppp)

CON-

(kkk) *lib. 14. Annal. cap. 44. §. 7.* (lll) *lib. 1. Inst. Polit. c. 6. pag. m. 109. seq. item l. ita vulneratus est. §. 2. π. ad L. Aquil.*  
(mmm) *lib. 1. Comment pag. 21.* (nnn) *in A. B. tit. 2. §. 1.* (ooo) *in Comment de L. Reg. Germ. cap. XI. Sect. 7. numeris præcipue 11. & 12. (ppp) art. IV.*



CONCLUSIO. X.

Forma Imperij Germanici est mixta ex Aristocratia & Monarchia, ita tamen ut hæc prævaleat.

Exegetis.

Quanam hodie Reipublicæ nostræ sit forma, acriter disputant Politici pariter ac Icti, nec cuiquam Controversia hæc satis obvia, nisi qui pridem in mediâ Republ. versatus fuerit, & rerum plurimarum usu pertinacissimo peritiam sibi acquisiverit. Committam tamen me turbulentissimo huic mari, & ubi propriò cortice natare non dabitur, alienò subere levabo. tantisper me, dum ætas ac usus ipse meliora moneat. Notandum autem est, quæstionem hanc (scilicet qualis sit status Reipubl. Romanæ modernæ?) formatam esse de facie Reipublicæ, quæ à Constitutione Septemviris Electorum collegij hodie viget: unde de temporibus Regum, Consulium, ac Imperatorum ante Ottonem III. haud quaquam hic solliciti sumus. Et ut nec omnem Rempublicam mixtam agnoscere, cum Dn. Kirchnero (qqq) & Paul. Busio: (rrr) ita neq; ullam cum Junio, Petr. Greg. Hænonio, Timplero, Bodino (sss) asserere mihi placet. Hinc eorum calculo haud subscribo, qui cum Dn. Reinkingo† pro statu absolutè Monarchico acriter dimicant, vel cum Bodino (ttt) itemq; Paurmeistero (uuu) Aristocratiam defendunt. Pro quorum quidem Sententia facere videtur illud Moguntini apud Sleidanum: (www) Nobis autem imprimis est Aristocratia retinenda. Sed ea Electoris verba Dn. Carpov. (xxx) explicat, quòd procul dubio per Aristocratiam intellectum voluerit temperamentum illud ordinum, quo absoluta Cæsaris potestas veluti frenis sistitur ac retinaculis, quodq; Monarchia pura Imperatori denegatur. Certè Imperium hoc Germanorum, quod Moguntinus Elector, aristocratium esse dicebat in

Comi-  
(qqq) disp. 3. de Republ. (rrr) lib. 2. de Republ. cap. 6. (sss) lib. 2.  
de Republ. cap. 4. (†) lib. 1. de R. S. & E. Clasf. 2. cap. 2. (ttt)  
lib. 2. de Republ. cap. 6. ac in Method. Histor. cap. 7. (uuu) lib.  
(ooo) 2. de jurisdict. cap. 2. n. 9. (www) lib. 1. Comm. pag. 20. (xxx)  
in L. Reg. Germ. cap. 13. sect. 9. n. 9.

Comitijs Francofurtensibus, mixtum potius est; sicut & alia multa: adeoq; unaqvæq; pars sua habet & Imperij libertatisq; jura, & arcana, & simulacra etiam, eleganter scribit Arnoldus Clapmarius (yyy) Hancq; mixturam pariter agnoscunt Dn. D. Carpzov. (zzz) Besoldus (a) Velftenius (b) Excell. Wendelerus (c). Uter autem status in mixturâ hâc præponderet, Aristocraticusne, an Monarchicus, adhuc sub judice lis est. Aristocratiam præfert Limmæus (d) B. D. Jacobus Martini; (e) cum Dn. Carpzovio (f) Libenthalio (g) Schönborn: (h) Daniel Ottone (i) tamen Monarchiam prævalere dicendum erit.

### CONCLUSIO. XI.

Manebit hæc Monarchia propitio fato, quamdiu hic orbis.

### Exegetis.

Nulla vis, sed solus ille lapis, sine manibus excisus, pedes illos comminuet, apud Danielelem (k) videatur & Daniel: Otto (l) Reinking. [m] In contrariâ equidem Sententiâ dicitur esse latinissimus Patrum Lactantius, qui futurum esse ait, ut nomine Romanorum extincto, & Imperio in Asiam reverso, Occidens seruiat, Oriens dominetur. Sententiam suam confirmat Sybilla; verum præferenda non sunt oraculis Divinis incerta Sybillarum vaticinia. Christus interim Salvum servabit totum Imperium Romanum, quousq;ve Seculum stabit; tamdiu enim stabit, Tertull. (n) Besoldus (o) Nec quinta constitui poterit Monarchia, Johann. Sleidanus. (p)

C

MEM-

(yyy) lib. 5. de Arcan. Rerum publ. cap. ult. pag 200. (zzz) in dict. Comment. & cap. ac sect. num. 10. (a) lib. 1. Polit. cap 8. (b) decad. 6 qv. 6. (c) lib. 2. Philosoph. Pract. c. 5. pag m. 595. & seqq. (d) Tom. 1. Jur. Publ. cap 10. n. 42. & seqq. (e) lib 3. Polit. cap. 9. pag. 1063. (f) d. l. sect. 9 n. 11. & 14. sect. 10 n 7. (g) exerc. 8. qv. 1. (h) lib. 1. Polit. cap. 16 (i) de jur. Publ. cap 7 pag 131. (k) cap. 2. & 7. (l) de jur. Publ. cap. 1. (m) de Regim. Secul. & Eccl. lib. 1. Class. 2 cap. 1. (n) in libr. ad Scapulam (o) de jurisdict. Rom. Imp. cap. 3. (p) de IV. S. J. lib 3 circa fin p. m 306.

MEMBRUM ALTERUM  
DE  
IMPERATORE AUGUSTISSIMO  
CONCLUSIO I.

Imperator Germaniæ cœteros Principes  
Christianos præcedit.

Exegetis.

**D**udum Orbis adoraverat Romam, dudumq; Oceanus decesse-  
rat Tibri, cum quæstionem Imperatoriæ dignitatis moverent  
imprimis Itali & Galli, adeo ut Pierre Matthieu (a) crassa ac ma-  
gnâ ignorantia rerum germanicarum, Imperatorem Duci Veneto-  
rum æquipararit. Non plus, inqviens, valet titulus ac nomen Im-  
peratoris, quàm Ducis Venetorum. Hunc verò Ducem Itali pro-  
verbio vinctum, & captivum appellant, quòd vix aliquid possit suâ  
autoritate, & ferè nihil aliud sit, quàm alijs in regionibus Impera-  
tor & Dux exercitus, uti testatur Boxhornius (b) Galli dicunt Impe-  
ratorem nullam habere potestatem, cujus autoritas tot legibus sit  
circumscripta: ita quidem ut proverbio dicatur: Tantum potest  
Princeps in territorio suo, quantum Imperator in Imperio Dn.  
Carpzov. (c) Estq; hoc ipsum, quod verbis admodum pulchris &  
notatu dignis indigitavit aliquando Erasmus Roterodamus Cam-  
pegio Cardinali: Magnam quidem esse Cæsaris in Germaniâ po-  
tentiam, sed hoc tamen ab omnibus non agnosci; Germanos verò,  
qui agnoscerent, id certis conditionibus sic agnoscere, ut imperent  
verius, quàm pareant, Johann. Sleidanus. (d) Sed hæc partim ex o-  
dio, partim ex æmulatione & joco dicuntur. Est omninò maxima  
Imperatoris in Germania Majestas, & vix efficacius quid possumus  
redarguere, quàm si Caroli V. Superioris seculi Imperatoris victo-  
rias, & ferreos Germanorum nervos Gallis in animum revocemus.  
Hinc varios etiam Reges ratione certorum Ducatum superiorem  
recognoscere, & Vasallos Imperatoris & Imperij appellari videm9.

Sere-

(a) Tom. 3. livr. 3. narrat. 2 de l'histoire de Henry IV. (b) lib. 1. Inst.  
Polit. cap. 4 p. m. 48. (c) In Jurispr. Consistor. lib. 2. T. 7. def.  
110. n. 9. & 10. (d) libr. 8.

Serenissimus Svedicæ Rex, respectu superioris Ducatus Pomeraniæ, & Ducatus Bremensis, Vasallus est Imperatoris & Imperij, Vigore Patificationis Osnabrugensis publicatæ die 4. Mens. Octobr. Anno 1648. Serenissimi item Reges Daniæ respectu Ducatus Holsatiæ subjecti sunt & Imperatori. Andreas Gail: (e) Vide Reichs-Abschied: (f) Cluten (g). Potentissimus Hispaniarum Rex adhuc ratione, Domus Burgundiæ in Comitibus Imperij ut vasallus comparet, ut ex novissimorum Recessuum Imperij subscriptione patet, Reichs-Abschied: (b) Carl vom Hagen/ (i) Hanc præminentiam, ac præcedentiam Imperatori nostro summam, non Status subjecti modò exhibent, verùm & ij, qui se Imperio jam subtraxerunt, comiter ipsius observant Majestatem. Uti faciunt Helvetij, qui crudeli præfectorū insolentiâ pressi, iis expulsis ad libertatem provocarunt, & crudelitatem acerbissimam forti animo à suis repulerunt cervicibus, cui rei initium factum, anno 1307. Cal. Novembr. Simlerus (k) ita tamè adhuc Imperatoriam Majestatem reverentur & colunt, ut ab Imperatore Ferdinando libertatis acceptæ beneficium sibi confirmari poposcerint, Goldast: (l) quod & impetrarunt ij, prout videre est in Instrument: Pacis Osnabrug. (m) Concludo ergò cum Magnif: Carpozov. (n) Imperatorem nostrum alias Reges & Principes antecedere, quia Imperium nostrum omnia superat Regna antiquitate: quò autem quid antiquius, eò est nobilius.

## CONCLUSIO II.

Modus evēhendi ad Imperatoriam dignitatem fuit varius.

### Exegetis.

Hanc verò Cæsaream dignitatem ac præminentiam quemadmodum adepti sint veteres Impp. Romani, breviter quidem, doctè tamen & plenè persecutus est Onuphrius Panvinius Veronensis.

C 2

(e) de Arrest. cap. 6. n. 16. (f) zu Speyer de ann: 1542. §. dieweil aber ibi, Insonders aber Dennemarck/ als zum theil auch des Heil: Reichs verwandt Mitglied. (g) in Sylloge l. 10. sub lit. C. (h) zu Regenspurg de Ann: 1641. §. de ann. 1654. (i) lib 1. jurispr. Publicæ cap 3 num. 5. (k) de Republ Helvetica lib. 1. p. m. 15. (l) de Regno Bohem. lib. IV. cap. 8. n. 6. in Not. ad fin (m) art. VI. (n) In Sæpius citat. Tract. de L. Regia Germ. cap. XIII. sect. 10. num. ult.

sis. (o) Satis autem perpendenti demonstratur, hæreditariam anti-  
 qvitus successionem rarissimè locum invenisse, cum semper fermè  
 vis ista creandorum Cæsarum ab Augusti usq; ætate penes militem  
 Romanum fuerit, ita ut Augustis parentibus succedere volentes ne-  
 cesse habuerint, militum consensum & suffragia sibi conciliare, i-  
 mò multi eorum à tumultuante milite reiecti, ac occisi sunt. Ger-  
 manos quod attinet, habuit quidem successio in omnibus populis  
 Germanicis aliquid hæreditarij, vis tamen ipsa Creationis fuit pe-  
 nes Populi electionem. Et testatur hoc Tacitus (p) Reges, ajens su-  
 munt ex nobilitate, h. e. habitâ ratione generis, atq; adeò ex sangvi-  
 ne Reges sibi creant, quamdiu quidem patitur Salus Reipubl. & i-  
 donei regendæ Reipubl, ex regio stemmate supersunt. A prisco au-  
 tem illo more in Germania quidem non nihil recedi cœpit Secul:  
 XII. cum primis verò Secul. XIII. XIV. & XVI. laxiore quadam eli-  
 gendi ratione introductâ. Carolo verò Magno, post quàm Augu-  
 stus esset renunciatus, atq; ipsius etiam familiæ hæreditariam Im-  
 peratoriæ dignitatis possessionem datam esse, haut obscurè ex ver-  
 bis Onuphrij Panvinij (q) colligere licet: Imperium Francicum, ait  
 ille, Romanum hæreditarium in suo primordio fuit; Carolus enim  
 Magnus Ludovicum Pium filium, hic Lotharium, Lotharius Lu-  
 dovicum II. filios hæredes Imperij reliquerunt. Eodem capite de  
 quatuor illis primis Francicis Imperatoribus ita loquitur: Ipsi cum  
 ex solâ hæreditate nullo electionis jure sibi invicem successissent,  
 Augusti vel Imperatoris nomen non die suæ Coronationis à Roma-  
 no Pontifice assumere, sed eo potissimum die, quo à Patre ap-  
 pellabantur Imperatores, à quo etiam die eorum Imperij annos nu-  
 merare solebant, nullâ habitâ Consecrationis Pontificis ratione.  
 Id autem satis ex eorum privilegijs & diplomatibus liquet, in quibz  
 tam ante, quàm post Romani Pontificis Coronationem seipso Im-  
 peratores, Cæsares, Augustos appellarunt, quod nullus sequentium  
 inde Imperatorum fecit. Hactenus Onuphrius. Scilicet constitu-  
 erat arrogantiam quadam inductus Pontifex Romanus, quòd ante e-  
 jus coronationem saltem Regis Romani nomine, non Imperatoris  
 titulo uti possent, ut docent Innocentius (r) Baronius. (s) Onuphri-  
 us

(o) In libello de Comit. Imperat. cap. 1 (p) de Morib. Germ. cap. 7. n. 1.  
 (q) Cap 15. de Comitibus Imperatoriis (r) in cap. venerabilem. X. de E-  
 lector. potest. (s) Tō: X. An. Escl. de an. Chr. 871. §. 4. & de an. 888. §. 3.



us (t) Bellarminus (u) Petrus de Andlo, (w) idq; constitutum fuisse à Gregorio V. monent Platina (x) & Granzius (y) Post tempore Leonis VIII. tale æternum pactum fuit initum, ut omnes Germaniæ Reges impofterum sint Imperatores Romanorum, atq; adeò, quo momento creatur Rex, simul & illum, qui jure debeat Romæ Imperare, constitui, uti latè id deducitur à CL. CONRINGIO. lib. de Germ. Imper. hæc q; Imperatoria dignitas Germaniæ Regibus in Ottone Magno confirmata est. An verò in Imperio Germanico statim post Ottonem III. nova succedendi ratio cœperit, hæc tenus dubitavi. Certè Historicorum monumenta produnt, quod Henrico IV. demùm Imperante facta sit illa Principium constitutio, cujus hisce verbis meminit Autor lib. de Bell. Saxon. istis temporibus Coævus: Hoc sibi, inquit, communi consensu probatum, Romanæ Pontificis autoritate est corroboratum, ut Regia potestas nulli per hereditatem cederet, sed filius Regis, etiam si valdè dignus esset, per electionem Spontaneam, non per successionis lineam ad eam perveniret. Si non verò esset dignus Regis filius, vel si eum nollet Populus, quem Regem facere vellet, in potestate haberet Populus. Hæc tenus ille. Hodie omnium Regum ac Principum oculi in Electores sunt coniecti, qui non modò de eo, quisquis electus fuerit, sed de ipsius etiam judicium faciunt, an gravitatem tantam præstent, quantum in hoc summo consilio Orbis terrarum requiritur, an salutem orbis terrarum consulere velint, aut privatis cupiditatibus morem gerere, ut loquitur Moguntinus in electione Caroli V. apud Goldastum (z) Sed de hoc fortean apud ad differendum campus alio tempore se aperiet.

### CONCLUSIO III.

Coronandi mos eodem modo variavit.

#### Exegesis.

Alterum post electionem Solemniarum seu cæremoniarum Imperij Romani consistit in Coronatione. Quæ olim fuit triplex (I) Aquis grani, pro Gallia, (II) Francofurti, vel etiam alibi pro Germania, (III) In Italia sive Mediolani, sive Bononiæ, vel Romæ pro Imperio

(t) de Comit. Imp. fol. 365. (u) lib. 1. de Translat. Imp. lib. 4. cap. 6. (w) lib. 2. de Imp. Rom. cap. 5. in fin. (x) In vita Gregor. (y) lib. IV. Rer. Saxon. cap. 25. (z) in Polit. Imper. Part. 1. pag. 124.



perio Romano. Putes id vel ideò factum, quod omne trinum perfe-  
 rum perhibetur, & Poëtæ verbis, Numero DEus impare gaudet.  
 Haud difficile foret ex numero ternario elicita hîc discutere my-  
 steria; sed cum in Jctorum nunc versemur foro, commodius erit  
 hunc aliis relinquere laborem. Etsi verò triplex ea coronatio ali-  
 quot seculis fuerit per familiaris: attamen haud pauci, cum primis  
 post interregnum illud magnum & Friderici II. tempora, Cæsarium  
 nec Coronâ Italicâ nec Romanâ fuerint inaugurati, omnes tamen  
 coronâ Germanica seu Regni Alemannici sive Teutonici insigniti  
 sunt. Superius eqvidem omnibus Carol. V. coronatum fuisse, vel  
 ominosa ista pontis Bononiensis scissio subinnuit. Pronus & Ferdi-  
 nandus I. erat ad easdem suscipiendas, sed à Paulo IV. nimis iniquè  
 habitus, omne postea consilium accipiendæ ab eo consecrationis  
 dimittebat; quem laudabiliter secuti cæteri Successores usqve ad  
 Invictissimum LEOPOLDUM hodie Imperij Romani Sceptra tenenté.  
 Quin imò post Germanam coronationem & inaugurationem Ele-  
 ctum rectè dici Imperatorem assero cum Heigio (aa) Wesenb. (bb)  
 vide & Pacian. (cc) Molinæum (dd). Ritus aliàs ipsi Coronationis  
 videntur quoq; per tempora mutati, quanquam difficile dictu sit,  
 in defectu monumentorum aliquorum, quinam ritus semper obser-  
 vati fuerint. Et verò quos habemus descriptos ritus inaugurati  
 Wilhelmi Hollandi Seculo XIII. apud Johann. Becam. in Chron.  
 Ultrajectino, & alios multum profectò à nostris moribus dissident.  
 Postremò Coronationem illam, aut consecrationem Regiam Ger-  
 manicam, non semper iidem peregerunt. Siquidem in ipsâ Aquis-  
 granensium urbe tres Ottones, Moguntia Henricum II. & Conra-  
 dum II. Episcopi Moguntini coronavêre, Henricus verò III. primus  
 omnium (quantum ex historiis colligere potui) ab ArchiEpiscopo  
 Colonensi Aquisgrani fuit coronatus. Cùm verò idem Colonien-  
 sis & Henricum IV. consecrare institueret, vehementer quidem is,  
 qui tùm temporis Moguntia erat ArchiEpiscopus sese opposuit,  
 prævaluit tamen Colonensis, Imperatoris Henrici III. benevolen-  
 tiâ accedente, jure Dioceseos, utpote in quâ Aquisgranum sit collo-

(aa) *quest. 3. n. 58. P. 1.* (bb) *in Notis ad Schneidew. in Proëm. Inst. n.*

(cc) *lib. 2. de Probat. cap. 35. n. 52.* (dd) *in Consuetud. Parisiens.*

*tit. 1. n. 73.*

catum. Ex eo tempore omnes ferè electi Imperatores, cum pri-  
mis ex quo persuasum fuit, Friderici I. ayo ex instituto Caroli Ma-  
gni coronationes regias Germanicas nunquam ritè, quàm Aquis-  
granì, atq; adeò in Diocesi Coloniensi posse peragi, in illà Aquis-  
granensium urbe fuerunt coronati; Superiori tamen Seculo cum  
Maximil. II. jam electus esset coronandus, & qui tum temporis Co-  
loniensi Archiepiscopatu præsidebat, propterea, quòd Infulis &  
palliis destitueretur, inidoneus esset consecrationi peragenda, præ-  
bita occasio fuit Moguntino Archiepiscopo consecrationem in-  
stituendi Francofurti, extraditionem Coloniensem. Maximilianus  
porò illius exemplo Rudolphus quoq; Matthias & Ferdinandus  
II. III. & IV. à solo Moguntino fuerunt consecrati. Caruit etiam  
hæc res omni contentione, nisi quòd coronationis extremæ tempo-  
re Archiepiscopus Coloniensis eo prætextu, quòd sibi simpliciter,  
ubicunq; etiam locorum constituatur Coronatio, competat jus  
consecrandi, Moguntino Ratisponæ extra Diocesi Coloniensem  
coronaturus, movit litem. Versatur autem quæstio in eo, cuius com-  
petat jus Regem Romanum, quem appellant, consecrandi extra  
Diocesi Coloniensem, non autem intra illam Diocesi? At Mo-  
guntinus quidem quam maximè eo nititur, quòd ipse sit Primas o-  
mnium Episcoporum Germaniæ, ut ab initio usq; Imperii exer-  
cuerit omnes coronationes extra Diocesi Coloniensem institutas.  
Pro Coloniensi verò quam maximè speciosum illud est, quòd legi-  
tur in A. B. (ee) indefinite dictum, Coloniensi competere jus coro-  
nandi. Est autem lis illa hodieq; sub iudice Cæsare; de quâ inte-  
rim legi merentur, qui pro utraq; parte libelli in lucem prodierunt.

#### CONCLUSIO. IV.

Ad hoc Imperii Culmen non nisi Germanus pervenit.

#### Exegetis.

Neminem fore arbitror, qui non è re cuiusvis regni existimet,  
gubernationem indigenæ potius, quàm Principi alterius nationis  
committi debere; quòd si in dubium vocaretur, documentis bene-  
multis ac gravissimis firmari posset, multorum recitatione sublevat  
me unicus noster Carpzovius, (ff) Addo, quòd Deus ipse alterius  
gentis hominem, qui frater Israelitarum non esset, in Regem ipso-  
rum

(ee) cap. 4. § Primò (ff) de L. Regiâ German. cap. X. sect. 2. per totum



rum designari prohibuerit (gg) ut proinde nemo non multum com-  
modi subesse credat, si quod in nostro quoque Imperio summum est  
regimen, non nisi stirpis Germanicæ Principi deferatur: expressâ et-  
si lege scripta, nec CHRYSOBULLA constitutum hoc non sit. An ergo,  
quia ad talem Imperii legem in electione Caroli V. apud Sleidanum  
(bb) provocavit, legibus, inquam, nostris & jure jurando nos arbi-  
tror impediri, quibus cautum est, ne decus hoc Imperij transferatur  
ad externos, Moguntinum Electorem legem aliquam, nullibi reper-  
tam, sibi persuaderi passum existimabimus? Absit: nec præsumen-  
dum hoc de Archicancellario Imperij, cui leges Germaniæ ignotæ  
esse non possunt, nec debent. Imò ipsius fides ambigua reddi haud  
potest, si, quod res est, dicatur, lege nimirum A. B. verbis licet non  
expressis, tacitè, non tamen obscurè prohiberi Electores fasces Im-  
peri extero deferre hoc ipso, quo Juramento obstringuntur, eligere  
talem, qui ad Sceptra & gubernationem sit idoneus, tit. 2. A. B. Com-  
muni verò Politicorum voto extraneus, & qui non est Germanus  
pro tali non habetur. Et quid multis? Sola consuetudo seu obser-  
vantia, quæ à Conradi I. temporibus est recepta: Ne Germani un-  
quam paterentur sibi vel ab Italis, vel à Gallis aut aliis nationibus  
eripi Imperatoriam Majestatem, Moguntinum Septemvirum hic  
tuetur, postquam observantia in nostro jure instar legis est, ac pro  
lege habetur, (ii). Observandum autem est, non statim habendū pro  
non-Germano illum omnem, qui extra Germaniam natus est; de-  
buisse enim ita excludi Ferdinandus I. natus in Hispania, imò po-  
tuisse dubitari de Carolo V. etsi ille natus fuerit Gandavi in Flan-  
dria, Anno Salutis M. D. Februarii die XXV. vide Cluverium, (kk)  
quæ urbs antiquitus quidem fuit Imperij Germanici, ut in libro de  
Finibus, exactè exponit Vir nunquam satis laudandus CONRINGIUS,  
jamdudum verò Imperii finibus exiisset. Germanus itaque omnis ha-  
bendus fuerit, qui origine natus in Germaniâ, bona possideat intra  
Imperij Germanici limites constituta. Quod firmiter hætenus ob-  
servatum etiam esse videmus. Nec enim aliquot tempora corru-  
pta, quibus Imperium potius venale fuit, quam legitimâ ratione  
collatum, in contrarium adduci merentur. Atque ita præcipuè sub

(gg) Deut. cap. XVII. 15. (hh) lib. 1. Comment. pag. 20. (ii) l. 35. π. de LL.

(kk) In Introduct. Geograph. lib. 2. cap. 19.

diuturno illo Interregno 18. annorum post mortem Friderici. II. turbato Imperii statu id factum esse probè observavit Petrus Heigius. Tunc enim Principes muneribus corrupti elegerunt Alfonso Regem Castiliæ, qui melior fertur Astronomus, quàm Princeps. Deinde Richardum Cornubiæ Ducem, fratrem Henrici III. Regis Angliæ, & deniq; post mortem Ludovici IV. Bavari Eduardum Regem Angliæ, qui tamen omnes Imperio vix degustato iterum repulsi fuerunt.

### CONCLUSIO. V.

Reges exteri Imperium aliquoties frustra petiere.

#### Exegesis.

Miratur Wolffius (II) neminem Gallorum unquam fuisse Imperatorem, verba ita se habent: Ad Romani Imperii apicem, nescio quo pacto nemo unquam Gallus, etsi multi contenderint, pertinere potuit. Nam Carolus M. ejusq; progenies Galli non fuerunt, sed Germani. Atq; assertioni huic suffragium hac in parte fert Sleidanus. (mm) Nec quæquam, nisi Germani nominis hostem Bodinum, (nn) Germaniam Carolo dedisse patriam, in dubium vocare arbitror; cum uno quasi ore Ingelheimium, villam duobus propè miliaribus Moguntia distantem, natale eidem solum Scriptores assignent. Præsertim verò post mortem Maximil. I. Anno 1519. Franciscus I. Imperium hoc ambiebat, rationibus, uti videbatur, haut contemnendis fretus. Imprimis autem eum præ Carolo in Imperatorem designandum urgebat, quòd Germanorum Francorumq; una olim fuisset Respubl. alteriq; ab alteris mutuam traxissent originem, quod vocolæ provinciæ antiquissimæ, florentissimæq; Franconiæ scilicet, & Civitatis Franckfordiæ, de Francorum nomine sic appellatæ, celeberrimi totius Germaniæ emporij, probare adhuc viderentur. Quo & postea inclinatus Trevir in suo suffragio, de quo ita Sleidanus; (oo) Gallica nimirum, ait, gens & origine nobis est conjuncta, & iisdem propè legibus utitur atq; moribus. Ac licet dissimulari nequeat, antiquis Galliæ & Germaniæ Incolis sanguinis

D

cogna-

(II) Tom. II. Lætion Memorabil. Centen. XVI. fol. m. 912. (mm) de IV. Monarch. lib. 2 p. m. 199. (nn) in Method. Histor. cap. 7. (oo) lib. 1. Comment. pag. m. 23.



cognitionem vel affinitatem fuisse; juvari tamen eam haud possunt  
(1) nec Bodinus, qui absurdè in Method. Histor. à Gallis Francis  
Germanos derivare ausus est, cum illi potius ac verius Galli Franci  
ab his in solidum dependeant, uti id nuper ex Jacob: Pontano (pp)  
aliisque autoribus privatim mihi ostendit Excell. Dn. Kirchmaier,  
Eloquent. Prof. Publ. nec (2) Galli, qui seculis aliquot præterlapsis  
à Germanis ita degeneraverunt, forsitan ex cælo mitiori, ut neque à  
bonis corporis, neque animi, fratres ulterius Germanorum haberi  
queant, quin potius naturam eorum exuisse censeantur.  
Henricus Bebelius (qq) Petrus Heigius (rr). Et quicquid denique de  
origine Francorum & Germanorum dicas, id non magni hinc haberi  
potest. Unde Moguntinus, cum Carolus eligeretur, nequaquam  
sibi nugas illas persuaderi passus est, quin potius, Georg. Sabino id  
Relat. Voti Moguntini notante, absque ulla responderit hæsitazione:  
Quod autem aliqui referunt vetustam originem Francorum Regum  
ad Germanos, hæc leviora sunt, quam ut Principes tantam Sapienciam  
& gravitate præditos movere debeant. Item, alioqui si illæ veteres  
fabulæ Gallis patrocinantur, perinde poterunt à Turcis Trojam  
petere atque à nobis Imperium: quia perhibent, se ab Hectoris filio  
natos esse. Et etiam si natio non impediret, tamen è Republ. non e-  
rit, quia fines ac ditionem suam Gallus amplificare volet, prout lo-  
quentem ita producit Moguntinum Sleidanus. (ss) Ergo Franciscus  
Rex Galliarum etiam tunc repulsam ferebat; de quo ita cecinit  
Hermannus Nuenarius Comes, Legatus Hispanicus:

Cum sis Franciscus Gallus, Rex Gallicæ, quum sis,

Imperium postis quâ ratione tibi?

Franciscus nemo est hoc Cæsar nomine factus,

Nec Gallus me quis sospite Cæsar erit.

Cæsar Germanus mihi Rex & Carolus esto,

Quare Franciscæ & Gallæ repulse vale.

### CONCLUSIO VI.

Hodie Imperium penes Principem est è familia potentissimâ  
Archiducum Austriae citra præjudicium tamen liberta-  
tis Imperii Romani. Exe-

(pp) lib. 2. de orig. Francic. cap. 5. (qq) in Orat. ad Imperat. Maximil.  
de ejusdem & Germaniæ laudibus (rr) P. II. qu. 5. n. 37. (ss) lib. 1.  
Comment. pag. m. ad.

## Exegetis.

Cum in Germaniâ nulla familia superesset par ferendis sumptibus, quos Regia Majestas requirit, Seculo XVI. necessitas adegit Electores Principes ex una familia Austriacâ Reges creare. Nec immeritò; quis enim totius Serenissimæ familiæ Austriacæ dotes gentilitias, incredibilem Clementiam, bonitatem, beneficentiam, moderationem, affabilitatem, mansuetudinem, splendidissimo lumine enitescentem non perspexit? Sanè Domum Austriacam intra quindecim annorum spatium, omnibus in orbe Christiano regnis vel Reges, vel Reginas dedisse exceptâ Scotiâ, refert Ens. (tt) Nec per hoc liberæ electioni præjudicium adferri ullum ostendit Carpzov. (uu) Cum aliis forsân permoti rationibus Archiprincipes Electores, ex alienâ familiâ in solium Imperiale quem sublimare haud prohibeantur, suffulti hoc Capitulationis membro, Vers: Und insonderheit sollen und wollen wir auch. Quo omni periculo ac juri præscriptionis, si quod metuendum, satis & sufficienter occurritur.

## CONCLUSIO. VII.

Certa ætas in Imperatore non est definita.

## Exegetis.

Olim lege Annariâ definitum erat, quo quisq; ætatis anno, Magistratum quemq; posset capere; & verò exactis demùm VI. & XXX. annis, Ædilitas, (quæ proximè excipiebat quæsturam) legitime iniretur: Itaq; quâ ætate Imperatoriam quis dignitatem adipisci queat debeatq;, non inconueniens videtur hîc quæri? Et nihil certi in legibus hac de re haberi dicendum censeo. Temporum testes historias si consulamus, nunc provectioris ætatis, nunc minoris Imperatores extiterint, veluti Otto III. admodum puer electus, Daniel; Otto (ww) Henricus III. anno ætatis duodecimo; Henricum IV. octavo: Fridericum II. anno vigesimo; & Wilhelmum itidem vigesimo anno ad fasces Imperij pervenisse discimus ex Cuspiniano, (xx) Limnæo, (yy). Enimverò cum in Electoribus annus decimus octavus legitima & perfecta constituatur ætas, ex præscripto

D 2

A, B.

(tt) lib. 1. thes. Polit. apotelesm. 6. p. 147. (uu) de L. Reg. German. cap. XI. sect. 2. num. 23. (ww) de Jur. Publ. cap. 8. (xx) In eorum vitis. (yy) lib. 2. Jur. Publ. cap. 2. n. 64.

A. B. (zz) non imperfectior ea in Caesare etiam erit habenda. Interea, si Serenissimi Electores ejusmodi electionem è Republ. esse judicant, infanti dignitatem hanc conferri posse haut dubito. Quod si obstat, vel precipitanter nimis, vel non maturo consilio ab Imperatore in tenera adhuc aetate quidquam forsitan tentari posse, Consiliariorum prudentia & gravitate id facile correctum iri respondeo, idque ex voto Electoris Moguntini apud Sleidanum, [a] Aetate, inquit ille, quidem non est magna, sed tamen idonea nunc & matura rebus gerendus: utetur etiam avi sui Maximiliani Imperatoris defuncti consiliariis, & Germaniae Principibus aliquot delectis. Nec enim Principis, quaecumque aetate sit, magis condecorat latera, Comitatumque honorificentius exornat, quam prudentum Consiliariorum Canities: unde totius Principatus profuit autoritas, & maxima hinc regnantis, dignitas in hominum admirationem abducitur, Anton. Guevarra. (b)

### CONCLUSIO IIX.

Caesar DOMINUS mundi dicitur,

### Exegetis.

Non ipsi solummodo Imperatores gloriati sunt se esse Dominos Mundi, uti Antoninus Pius (c) & Imp. Ludovicus IV. ac Fridericus Pulcher, in hac prorum pentes verba: *Das wir das Römische Reich über alle die Welt mit einander gleich als eine Person besitzen sollen / und wollen /* apud Goldast: (d) sed & Bartolus haereseos accusare videtur illos, qui universum totius orbis Dominum Imperatoribus demtum voluerint, (e) testante Dn. Arnisæo (f). Sed ridiculum est, inquit Ludovicus Vives (g) affirmare, Imperatorem Romanum jus habere in totum orbem terrarum, cujus nunquam fuit Dominus. An ergo pomposè duntaxat, ac nimis superbè Imp. de totius orbis regimine gloriari poterunt? ita quidem autumat Gallorum Politicus Bodinus, (h) cui tanti est patriae caritas, ut etià ab Asinorū maritate illius supremum praesidium mutuatur, quando contra Aristotelem lib. 8. Histor. animal. cap. 18. negantem, excandescens, in-

(zz) tit. VII. (a) lib. 1. Comm. pag. 22. (b) libr. 3. Horolog. Princip. c. 58. (c) in famosa 9. π. ad L. Rhod. de jactu. (d) in Reichsstatuten p. 243. [e] in l. hostes. 24. π. de captiv. & postl. revers. [f] de J. Majest. lib. 1. cap. 2. n. 3. [g] in Notis ad August. de C. D. (h) lib. 1. de Republ. cap. 9. num. 129.

totâ ferè Gallia ac potissimum in agris Andium & Arvernorum  
sinos robustos & mulos robustissimos nasci scribit, in Theatr. Nat.  
lib. 3. Sed quid opus hoc subterfugio, cum hæc omnia civiliter  
de Imperio in orbem Romanum intelligenda esse dudum inter eru-  
ditos convenerit, asserente Nobiliss. Dn D. Lyfero, P.P. (i) Et ita etiã  
exaudiendum esse duco illud Evangelistæ: Augustum scilicet sub  
censum revocasse Πάσην τὴν οὐρανὸν. (k) Nec absurda hæc, & in-  
frequens erit locutio, quando de majori mundi totius parte, quam  
olim Romani possidebant, Synecdochicè, & adhibitâ temperandâ  
particulâ penè, orbem totum intellectum velimus; ita enim ipse lo-  
quitur Imperator, (l) quo sensu salvari posse verba hæc puto. Vide  
insuper Grotium, (m) & ad eundem Joh. à Felden, (n) Magnif. item  
Carpzovium, (o). **CONCLUSIO. IX.**

Non peccant Electores Juramentū ab Imperatore sumentes.  
Exegesis.

Turpè est, inquit Belisarius ille apud Procopium, cum aliis omni-  
bus, quibus vel minima virtus est cordi, tum imprimis Principi viro  
mentiri, ac fidem fallere; Jus jurandum autem & pacta etiam scri-  
pto sancita violare, ne abjectissimò quidem homini decorum esse  
arbitror. An verò sacrilegij arguere queamus Electores nuda Impe-  
ratoris verba & promissa in suspicionem vocantes, & jusjurandum  
ab eo sumentes? Absit. Contra insolentiam n. Imperantis haud co-  
gitatam aut prævisam prudenter ac provide hoc modo illi agunt,  
more aliarum Rerumpublicarum. Unde à primò statim electionis  
momento mos invaluit in Imperio, ne quisquam sine certâ pactio-  
ne & conditionibus præscriptis ad solium Imperiale admittatur,  
Culpinianus, (p) qui mos postea in legem abiit fundamentalem; quâ  
de re eleganter scripsit Julius Pflug, Episcopus Numburgensis (q)  
Ad hoc institutum, inquit, accessit alterum non minus bonū ac sa-  
lubre; ut, qui in illo excelso honoris gradu collocarentur, ne durius,  
quam oportet, regnarent, antequam aliis imperare inciperent, eas  
leges quodammodo imponerent sibi, nihil ut contra Ecclesiã Chri-  
stianam atq; Rempubl. nostram, ejusq; libertatem facerent.

(i) in di. p. suâ de Propriet. ver. num. penult. (k) Luc. c. 2. vers. 1. (l) in No-  
vel. 24 in pr. (m) lib. 2. de jur. bell. ac Pac. cap. 22. n. 13 pag. 368. (n) in  
Notis ad dict. loc. Grot. pag. m. 115. (o) de L. Regia German. cap. VII.  
sect. 9. n. 9. seqq. (p) In vita Conradi I. (q) In orat. de Rep. Ger. Cur.

## CONCLUSIO. X.

Habet suum iudicem Cæsarea Majestas.

### Exegetis.

Quemadmodum alijs legibus non est solutus omnibus Imperator, uti communiter tradunt Doctores, Dn. Carpzov. (r) Fachinaus, (s) Dn. Hahnus, (t) Franzkius (u) Riemer. (v) Quibus eum planè consentit Matth. Bortius apud Arumzum, (x) videatur & Armisæus (y) Boxhornius: (z) ita imperatorem quoq; iudicandi potestatem ex præscripto A. B. Comiti Palatino novimus indultam. Utrum verò Principum voluntate in Palatinum fuerit translatum jus hoc speciale, an per tacitam consuetudinem sit introductum, meretur quæri. Prius probare quidam annuntur ex Chron. Georg. Alt. Norimberg. quem locum ita refert Goldastus; (aa) ubi: *Wen diesen Zeiten machten etliche des Reichs Fürsten/ und besonders die geistliche Churfürsten wieder Kayser Albrecht Bündniß mit einander/ den beschuldigten sie/ daß er Adolphem seinen Herren in einem Krieg umbbracht hette/ deswegen Er denn Königlicher Ehre unwürdig were.* Darumb setzten die andern fürnehmsten Fürsten Teutscher Nation/ Herren Adolphem Pfalzgraffen bey dem Rhein zu einem Richter des H. Reichs/ also daß Er hinführo zu künfftigen Zeiten aus seiner Tapferkeit/ dasselbe Ampt vollführen solte/ auff daß die Römischen Könige beweget würden nichts übel/ oder Scheltung würdiges im Reich vorzunehmen/ dadurch sie der Römischen Königlichen Hoheit unwürdig geschämet werden möchten. Antè Alberti verò tempora idem jus Palatino competiisse evincunt libri Saxonici, qui ante illius tempora conscripti, ut etiam laudatus testatur Goldastus. (bb) Speculò enim in Saxonico, (cc) ita habent verba: *Also ist auch der Pfalzgraff über den Kayser/ & in lib. Weichbild: (dd) Nun höret und vernemet/ wer über den König richten sol/ &c.* Das sol thun der Pfalzgraff von dem Rhein/ Ergò per tacitam potius consuetudinem an-

(r) in Tract. de L. Regiâ Germ. cap. XII. sect. 1. n. 41. & 42. & sect. 2. n. 1. 2. & seqq. (s) lib. 1. Controv. jur. cap. 2. (t) obs. ad D. de LL. n. 7. (u) Exerc. 1. qv. 8. (v) Decad. 1. qv. 7. (x) Volum. 1. discurs. 8. n. 31. & seqq. (y) de jur. Majest. libr. 1. cap. 3. & libr. 1. Doctrin. Polit. cap. XI. pag. 260. 261. (z) lib. 1. Inst. Pol. cap. 4. pag. 58. (aa) Tom. 1. Const. pag. 99. (bb) in Dedicat. der Reichsstatuten. (cc) lib. 3. art. 52. in fin. (dd) art. 50.

te tempora Alberti etiam introductum fuit, Consentit A. B. (cc) ibi:  
Sicut & Consuetudine introductum. Quanam vero causa agitari  
possint coram hoc iudice, ventilandum nunc venit, sed cum res non  
satis sit decisa in A. B. (ff) inde finitè enim ibi concepta sunt ver-  
ba: Super causis pro quibus impeditus fuerit, von Sachen wegen/  
darumb er angentuch wird / ideoq; illius controversiæ prolixitati,  
dum brevis esse laboro, me jam non immiscebo.

### CONCLUSIO. XI.

Resignatio Imperatoriæ dignitatis, vel etiam depositio,  
si qua sit, coram Electoribus peragitur.

#### Exegetis.

Quicumq; contulerunt potestatem aut dignitatem aliquam, in  
illorum manus, ut ita loquar, potestatis & dignitatis faciendam re-  
signationem, propositio certa videtur: at vero, num Papa subsume-  
re possit, collationem Imperatoriæ dignitatis à se esse, ac proinde  
concludere, apud se quoq; resignationem institui, debere nulla non  
tenet me dubitatio. Siquidem tantum abest, ut hoc asserere liceat,  
ut Romanum Pontificem potius circa constitutionem Regum &  
Cæsarum non eligendi, nec etiam confirmandi, sed solum coronã  
Cæsareã Germaniæ Reges inaugurandi jus esse probetur, ac proin-  
de iniquè postulasse Paulum IV. Pontificem, ut apud se Cæsareã di-  
gnitatis fieret renunciatio, manifestum sit. Inde vanam sapere ar-  
rogantiam videmus illud Adriani IV. tempore Friderici Barbaros-  
sæ ad Moguntinum, Coloniensem & Trevirensis Archiepiscopos  
perscriptum: Unde habet Imperium Imperator, nisi à nobis? Ergo  
per nos Imperat &c. Imperator totum quod habet, habet à nobis  
apud Aventinum (gg) Certum ergo erit, coram Electoribus omnino  
fieri debere renunciationem: quod nempe renuntiatio nihil sit al-  
liud, quam remissio debitæ obedientiæ, fieriq; proinde debere co-  
ram iis, per quos Imperator est constitutus; horum omnium autem  
personam quasi referunt hodie VII. Electores, coram iisdem factã  
esse renunciationem Caroli V. superiori seculo videmus. Cæterum  
Principem etiam omnibus juribus Majestatis gaudentem, si funda-  
menta Reipubl. convellat, posse deponi, pleriq; fatentur. Cogun-  
tur proinde etiam fateri, quod si Imperator juribus illis, quæ ab E-  
lecto-

(cc) cap. 5. §. final. (ff) dict. cap. 5. §. final. (gg) lib. VI. cap. 506.



Electores accepit, abusus, velit Reipubl. destruere fundamenta, eum posse merito deponi, utpote cum Electores & Principes Imperij magnam partem Majestatis jurium participant. An vero Imperator, si quid iniqui committat, quod Reipubl. non conuallit, etiamsi Capitulationis legibus aduersetur, jure possit deponi, quæstio alia est. Nec vero jure dari licentiam hoc modo insurgendi contra Unctum Domini Arniseus dudum ostendit. Et si contrarium Politicorum quisquam illud probatum iverit, fenestra rebellionis bellisque intestinis proculdubio aperta erit; quoniam fieri vix potest per humani ingenii imbecillitatem, ut non interdum iniqui aliquid concernant. Si liceret igitur Principes exuere statim potestate propter iniqua quæque, nullum regnum, nullus Principatus, perinde ut nulla alia Respubl. vel ad breve tempus salva & tranquilla esse possit. Quod autem exempla concernit, depositionis nimirum Regum Cæsariumque Germanicorum, reperiuntur illa in Adolpho Cæsare, Henrico IV. Friderico II. & Venceslao. Enim vero ad versus omnes penè, ipsi quidem ordines Imperij, suapte sponte nihil ferme moverunt, sed incitari potius pravis artibus Romanorum Pontificum. Unum Venceslaum omni dignitate exuerunt Electores ex propria sententiâ, ut & omnes ordines Carolum Crassum. Utrumque facinus excusari solet, quod Ordinibus & Electoribus fas sit, omnibus modis cavere, ne quid detrimenti capiat Respublica à Regibus officio suo, non bene, vel legitime fungentibus. Ex historia autem illius ævi apparet, Caroli Crassi depositionem nocuisse plurimum Reipubl. utpotè cum occasio ac ratio data fuerit invadendi varias Imperij partes, & nova regna per Italiam, Burgundiam & alibi cum summo Germaniæ detrimento instituendi: etsi haud degenerem Successorem Arnolphum Carolus II. nactus sit.

Hæ sunt nostræ de nobilissima & diffusissima istâ materia meditationes. Si quis fortè in his aliquid, quod omissum putat, desiderat; ille non animum fuisse, morem usitatum migrare, & tractatum de istâ conscribere materiâ, sed ad disputandum saltem aliquid proponere voluisse, sciat. Interea lubet pulcherrima illa Fab: Quintiliani (hh) verba recensere, quibus Discursui huic, propitio annuente Numine, finem impono: Non differendum est Tyrocinium in senectutem, nam quotidiè metus creseit, majusque sit semper, quod ausuri sumus; & dum deliberamus quando incipiendum sit, incipere jam serum. Quare fructum studiorum viridem & adhuc dulcem promi decet, dum & venia & spes est, & paratus favor, & audere non dedecet; & si quid desit operi, supplet ætas, & si quæ dicta sunt juveniliter, pro indole accipiuntur.

(hh) lib. XII. Inst. Orat. cap. 6.

F I N I S.



Wittenberg, Diss., 1664-65

ULB Halle

3


004 716 361




1

VD17







D. O. M. A.  
DISPUTATIO JURITICA  
DE  
CELEBERRIMO POTENTISSIMOQUE  
**IMPERIO ROMANO-GERMANICO,**  
in genere, & in specie  
DE  
**IMPERATORE AUGUSTISSIMO,**

*Quem,*  
*Magnifici Jctorum Ordinis permissu,*  
VIRO-PRÆSIDE  
*NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO ET*  
*EXCELLENTISSIMO,*  
**DN. WERNERO THEODORO MARTINI,** Jcto & Antecessore hâc in Academia longè  
Celeberrimo, Curix Electoralis, Consistorii Ecclesiastici,  
Scabinatûs & Facultatis Juridicæ Assessore  
gravissimo,  
*Dn. Patrono ac Præceptore suo maximoperè colendo,*  
Publicè sistet ac defendere conabitur  
**Hans Heinrich à Käynn/**  
NOBIL. MISNIC.

*In Auditorio Jctorum*  
Ad d. Aprilis, 1664. horis consvetis.

WITTEBERGÆ,  
Literis, FRIEDRICI WILHELMI FINCELI.

10.  
15

1664  
9.6

18.

223.

3

4

